

impositio fortasse non constituit in Latinis Ecclesiis totalem & adequatam Ordinem Ecclesiasticorum materiam, eo quod ab aliquot retro sæculis visum sit Romanæ Ecclesiæ aliud quid materiale adungere, traditionem scilicet instrumentorum, quæ juxta ipsius mentem ac institutum, vel sit de materia essentiam constituen- te, vel concurrat ut conditio sine qua non; proinde- que necessaria sit ad Sacramenti si non essentiam, saltem ad ejusdem existentiam, pro illa quam Christus Ecclesiæ indulget circa rem Sacramentariam potestate.

8. Ista vero, quam dixi, Ecclesiæ potestas indulta & concessa in tribus potissimum Sacramentis conspicua est. In Ordine quidem, ut jam differimus. In Pœnitentia etiam, in qua restringitur per Ecclesiam illa definita potestas pœnitentis absolvendi, quæ in ordinatione Presbyterorum confertur super ipsa hominum peccata, quæ sunt pœnitentia Sacramentalis subiecta materia. Neque rationi a pœnitentia deductæ sufficienter occurret, si dicas, in ordinatione non conferri absolvendi potestatem, nisi solum in actu primo; sed in actu demum secundo conferri ab Episcopis, dum jam ordinatis Presbyteris subditos attribuunt, in quos illam exercere auctoritatem ac jurisdictionem possint ligandi ac solvendi, quam in sui ordinatione receperunt. Hæc nihilo secius urget argumenti vis in ipsi Episcopis & Parochis, qui licet subditos nanciscantur in sola ad propriam Ecclesiam additione, adhuc tamen Ecclesia ipsa post illam ad singulares Ecclesias additionem restringit, aut suspendit eandem in proprios eorum subditos jurisdictionem, ut neque Episcopus valeat proprios subditos solvere a censuris & peccatis, quos supremum Ecclesiæ tribunal sibi reservaverit. Nec minus perspicua est in matrimonii Sacramento illa in re Sacramentaria Ecclesiæ a Christo attributa potestas; cum enim Sacramenti hujus materia divinitus constituta, sit mutus legitimæ partium consensus, certo constat apud omnes Catholicos, Ecclesiam posse pro suo prudenti arbitrio edicere, ut consensus, qui olim sufficiebat ad hoc Sacramentum, deinceps minime sufficiat; & ex adverso disponere posse, ut deinceps sufficiat consensus ille, qui ante hæc non erat sufficiens: verum enim vero ante Tridentinum decretum clandestinus partium consensus sufficiens erat ad hoc Sacramentum, jam vero non sufficit. Atque ex supposito, in multis circumstantiis non sufficiebat olim partium consensus, qui non sufficit remotis pristinis impedimentis. Generalia enim Concilia Lateranense quartum sub Innocentio III. & Tridentinum multa graduum olim prohibitorum impedimenta dirimentia cognitionis & affinitatis, qua carnalis, qua spiritalis, ademerunt; adeo ut mutus, qui antea invalidus fuerat & irritus consensus, jam sit ratus & validus ad nuptias.

Circa memoratas ordinationum difficultates ex rituum diversitate ortas, egregie disputant Cardinalis de Lugo disp. 2. de Sacram. in gen. lect. 5. num. 85. & seqq. Becanus p. 3. de sacram. Ordin. qu. 4. Inter Gallicanos Hugo Menardus, & Joannes Morinus. Atque inter præstantissimos Sorbonici Collegii Professores, Hallerius, Gamachæus, & Ysambertus.

CONCILIIUM CARTHAGINENSE V.

Anno Christi 398.

1. Concilium istud eodem anno Carthagine in- itum fuit, quo præcedens; & quamvis aliquot mensibus istud, quod quintum dicitur, antecesserit alteram Synodum, quæ quarta nuncupari solet Carthagenensis; rectius tamen istud, in quo jam versamur, Concilium dici debet quartum; illi vero, quod supra immediate discussimus, quinti potius denominatio convenit. Istud enim, quod jam tractamus, mense Maio absolutum est, estque provinciale trium & septuaginta Episcoporum; illud vero alterum, quod generale nuncupat Augustinus, fuit ducentorum quatuordecim Episcoporum, sexto idus Novembris ejusdem anni celebratum 398. Utrique præfedit Aurelius Carthagenensis, Arcadio & Honorio Imperatoribus, Anastasio Romano Pontifice.

Can. I. Nulla ad testimonium dicendum Ecclesiasticæ cuiuslibet persona pulsatur, hoc est citetur.

2. Can. II. Præterea cum de quorundam Clericorum, quomodo erga uxores proprias, incontinentia referretur, placuit Episcopos & Presbyteros & Diaconos secundum priora statuta etiam ab uxoribus continere. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio. Ceteros autem clericos ad hoc non cogi; sed secundum uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere. Videndus Nicænus can. 3. cum ibi annotatis.

Can. V. Placuit, ut nemini sit facultas, relicta principali Ecclesiæ, ad aliquam Ecclesiam in diocesi constitutam se conferre, vel in re propria divitius quam oportet constitutum, curam vel frequentationem propria Cathedra negligere: 7. qu. i. c. placuit ut nemini.

Huic canoni Episcopi contraveniunt, qui non solum relicta Cathedrali ad aliam diocesis Ecclesiam diver- tunt, ibique longas moras neunt: sed quod deterius est, magna parte anni ruri versantur ac deliciantur, se- que propriarum ovium usus subducunt, ut inertis otio fruuantur.

3. Can. IV. Placuit de infantibus, quoties non inveniantur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione referant, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi Sacramentis respondero, absque scrupulo eos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari. Hinc enim Legati Maurorum fratres nostri consulerunt, quia multos tales a Barbaris redimunt. Similiter de Ecclesiis, quoties super earum consecratione hæsitatur, agendum est, id est, ut sine ulla trepidatione consecrentur.

Habetur de consecr. dist. 4. c. placuit de infantibus. Et in Concilio Africano can. 39. Simile denuciatur in Synodo Quiniexta can. 84. Hoc ipsum constanter definiit Gregorius Papa Magnus lib. 12. epist. 31. his verbis: Hoc rite tenere debetis, quod & nos ab antecessoribus nostris tradidimus accipimus; ut quoties tam de baptismo aliquorum, quam de confirmatione, quam de Ecclesiæ consecratione dubitatio habetur; & nec scriptis, neque testibus certa ratio habetur; ut baptizentur tales, vel confirmentur, vel Ecclesiæ consecrentur: ne talis dubitatio fidelibus ruina fiat, quoniam non monstratur iteratum, quod certis indicibus non ostenditur rite peractum. Hæc vobis tenere & mandare docemus, &c. Raimundus Decretalium sub Gregorio Papa nono compiliator, hæc eadem extendit ad ordinationes sacras, sic dicens lib. 3. summa, tit. de ætat. ordinand. §. 1. Regulariter tenent, quod in hujusmodi, de quibus non constat, quod sint de essentia, vel non, invenitur tamen, quod debent fieri, intelligas omnia esse de essentia. Unde si aliquid tale, de quo dubitatur, utrum sit de substantia, vel non, fuerit omnium, potest ordinatio iterari: non enim intelligitur iteratum, quod nescitur esse factum dist. 86. cap. Presbyteri. Et de consecr. dist. 1. c. solemnitates. In istiusmodi eventibus provide adhibenda est clausula, quam præscribit capit. 2. de baptismo: Si baptizatus es, non te baptizo: sed si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine, &c.

4. Can. VII. Placuit, ut dies venerabilis Pasche formatarum subscriptione omnibus intimeret.

De consecr. dist. 3. c. placuit, ut dies venerabilis; & Concil. African. c. 41. Litterarum formatarum seu canonicarum rationem Atticus Constantinopolis Episcopus tradidit in Appendice, quæ inferi solet post Synodum Chalcedonensem. De litteris formatis Dissertationem nostram 7. revise superius post historiam secundi sæculi, quo loco de Paschalibus etiam formatis satis superque tractatum est.

5. Can. IX. Ab Imperatoribus visum universis est postulandum, propter afflictionem pauperum, quorum molestiis sine intermissione fatigatur Ecclesia, ut defensores eis adversus potentias divinum cum Episcoporum provisione delegentur.

Præclare Ambrosius Ecclesiæ sacros ministros sic exhortatur, lib. 2. offic. cap. 29. Egregie hinc vestrum civescunt ministerium, si suscepta impressio potentis, quam vel vidua vel orphanus tolerare non queant, Ecclesiæ subsidio cobibeatur; si ostendatis plus apud vos mandatum Domini, quam divitis valere gratiam. Meministis etiam, quoties adversus regales impetus pro viduarum, immo omnium decessit, certamen suscepimus. Et utique hujus rei testes locupletes sunt duæ illæ ad Maximam Imperii invalorem, rogatu Justina Imperatricis viduæ pro ejus filio Valentiniano juniore puerilis ætatis, susceptæ ab Ambrosio difficillimæ legationes, quas idem enarrat epist. 27. indignantique tyranno respondit: Gloriosum mihi est, hoc pro salute pupilli Imperatoris. Quos enim Episcopi magis quam pupillos tueri debemus?

6. Can. XI. Vetat Presbyteris, & Diaconis lapsis publicam pœnitentiam dare, aut manus eis ut pœnitentibus imponere. Invisæ supra Carthagenensis Concilii IV. can. 68. cum subiectis nostris scholii.

Can. XIII. Item placuit, ut si quis de alterius monasterio

Concilium Carthagenense V. anni 398.

sterio receptum, vel ad clericatum promovere voluerit, vel in suo monasterio majorem monasterii constituerit; Episcopus, qui hoc fecerit, a ceterorum communione se- junctus, sue tantum plebis communionem contentus sit: & ille neque clericus neque presbiter perseveret.

Cap. si quis de alterius, dist. 58. & Conc. Africanum can. 47. Perquirito infra Concilium Arelatense tertium sub Ravennio, in causa Theodori Forojulienis Episcopi, & Faustii Abbatis Lerinenis, in quo jura Episcopi & jura Abbatis discutuntur.


7. Can. XIV. Jubet ab Episcopis altaria everti, quæ passim per vias aut agros constituta sunt, in quibus

nullum corpus aut reliquæ Martyrum condita probantur, c. placuit ut altaria, de consecr. dist. 1. & Concil. Afric. c. 50.

Can. XV. Item placuit ab Imperatoribus gloriosissimis part. ut reliquæ idololatria non solum in simulacris sed in quibuscumque locis, vel in lucis, vel arboribus, omnimode deleantur.

Aurelius Episcopus Ecclesiæ Carthagenis supra comprehensis in nostro Concilio statutis subscripsit. Similiter septuaginta duo Episcopi subscripserunt.

ECCLESIAE QUINTI SÆCULI HISTORICA SYNOPSIS.

1. uspiciatissimum quinto Sæculo dabit exordium Concilium Toletanum primum, anno quadringentesimo celebratum, quo præcedens definit, novumque Sæculum aperitur. Illo Concilio provisum est, ne Priscilianitarum hæ-

res ulterius quasi cancer exitialis sepeperet. Romanus tunc temporis Episcopus erat Anastasius, qui Siricio Papæ successit legitima electione fuerat anno 398. Imperium vero Romanum duas in partes dispersit, duo regebant Theodosii Magni liberi, Arcadius in Oriente, Honorius in Occidente. Arcadius natu major, Eudoxiam statim a patris obitu nuptum duxit Eutropii consilio, meruentis ne Rufini æmuli sui filiam sumeret uxorem. Moriens Theodosius, prospiciensque filiorum juvenili & inexpertæ ætati, simulque publicæ rei incolumitati, duos selegerat duces prudentia & auctoritate præcellentes, quorum ductu & consiliis utrumque regeret imperium, Stiliconem, qui rebus Occidentis, & Rufinum, qui Orientis rebus præesset: sed tam prudentium infaustus sortitum est exitus ducis utriusque immensa præcipitæ ambitione, mutuaque invidia, quæ inter eos exarsit. Uterque enim occulta fœdera in alterius æmuli perniciem cum barbaris gentibus inivit, eosque ad lacerandum Imperium accivit, uterque bellum diutinum studiose cum eis propagavit, atque ut se necessarium Imperio exhiberet, propriamque potestatem armis & exercitiis fretus firmius stabiliret, levibus dimicationibus exiguisque contentus victoriis, cum posset eos ad interfectionem cadere, barbaros in regionibus Imperii consistere atque hostiliter prædari, non solum permittit, sed etiam occulte fœdit, & clam opibus adjuvat, ne bellum propriæ necessarium ambitioni desineret, seque adversus æmulum armis præmuniret, eumque, quantum fieri posset, debilitaret ac disperderet. Stilico utriusque Imperii præfecturæ avidus, intendensque sensim viam sibi filioque Eucherio munire ad imperium, postquam ingentem sibi gloriam comparavit per insignem de Radagaiso Gothorum rege victoriam, qui in Italiam quam subjugare destinabat, cum ducentis hominum millibus, ut Orosius & Marcellinus produnt, horrenda clade & vastitate irruerat. Stilico infestam sibi Honorique Imperio tantam multitudinem Fesulanis montibus intercepto omni comæatu, inter locorum angustias conclusam, admirabili felicitate, absque ulla suorum iactura, interfectione prostigavit, dumque captum interemit anno 405.

2. Stilico successu isto superbiens professionem in Orientem parat, devincto sibi Gaina Gothici generis duce. Verumtamen ut Stiliconem a se propulset Rufinus, aditus Græciæ armis occupat, simulque Alaricum Gothorum regem ad Italiam expeditionem adversus Stiliconem ad Arcadium spes quidem tuendam Græciæ cum Gothicis copiis miserat, quam tunc Alaricus cum suis, quorum Rex erat, Gothi fœde populabatur, factionem militum adversus Rufinum, qui tandem ab illiceps obtruncatus est. Hujus cum Stilicone consilii participis quoque fuerat Eutropius eunuchus, qui sublato Rufino nimiam Stiliconis potentiam reformidans, Gildonem Comitem Africæ dudum ab Theodosio Augusto præfectum, sibi fœdere devinxit: adversus quem Stilico Marsephem misit, qui exigua manu victum Gildonem ad necem compulsi anno 398. Sed post Africanum victoriam reversum in Italiam Marsephem ingratus & perfidus Stilico per suos de ponte in profluentem præcipitavit.

3. Anno insequente, qui fuit 399. Consulibus Manlio Theodoro & Eutropio eunuchis, Gainas contra Im-

peratorem Arcadium cum Tribigildo hac arte conspirat, ut Tribigildus palam rebellaret, Gainas vero dux belli ab Arcadio adversus rebellantem electus rem ex utriusque conspiratoris opportunitate gereret. Eodem pariter anno Eutropius Gainæ artibus in suspitionem nec sine causa adductus, nondum finito sui Consulatus anno interemptus est, ejusque damnatum ac de factis publicis obliteratum est nomen.

4. Gainas prosperis successibus in superbie culmen elatus rursus in Arcadium conspirat. Admotis enim Chalcedone barbaricis copiis e regione regie civitatis, Imperatorem postulat ad se in colloquium venire ferocis omnibus arbitris. Fide ultro citroque data Gainam convenit Arcadius. Cui ille insolenti audacia petiit sibi dedi tria illustrissima Imperii capita ex ordine Senatorio Aurelianum Consularem, Saturninum Consularem, & Joannem, qui erat Imperatori a secretis: prætereaque intra regiam civitatem templum aliquod concedi pro se suisque militibus, ceterisque Arianam religionem profitentibus. Hæc præmittebat future quam sibi proposuerat, totius Imperii invasionis primordia trucidantissimum barbarus. Has adeo immanes conditiones accipere & polliceri compulsius est Arcadius, futurus, si abnueret, sub armati Gainæ potestate. Tres vero Procures viri lubenti animo ad Gainam processerunt, parati quodvis pro Imperii incolumitate pati, & pro salute Principis. Dux vero perduellis horum magnanimitate pudæfactus solo illos exilio damnavit. Joannes vero Chrysostronus Constantinopolis Episcopus admirabili constantia Imperatori protestatus est, nunquam se permissurum, ut veri cultores Christi Basilica depellantur Christo consecrata, ut eorum in locum introducantur hæretici Christum quotidie blasphemantes. Si vero Arcadius vereatur, quæ barbaro pollicentibus fuit, retractare, seipsum quicumque discrimini petiit exponi, atque ad colloquium cum Gaina venire, ut solus quodcumque periculum suscipiat. Admissa est Joannis petitiō; atque præfente Arcadio Gainam affatus est: Ecclesiæ non Imperatoris, sed Episcopi subesse potestati, neque se permissurum ejus rei executionem, quam indebitè, & contra jus omne promiserat Imperator. Si velit Gainas ejusque milites cultum DEO deferre, patere omnia Catholicorum in urbe templa, ut Christum in eis catholico ritu veneretur quicumque volet. Cumque Gainas insistere templum sibi concedi in premium & remunerationem insignium officiorum, quibus Imperium Romanum demeruerat, regessit in oppositum sanctus Episcopus, ipsum ingenti mercede fuisse remuneratum merita excedente, quæ jactabat; quippe qui ex gregario milite in eum dignitatis & potentie gradum proventus esset, quo nemo alius ascenderat. His monitis tandem cessit Gainas, virtutem admiratus Antistitis. Dux tamen ille perfidus nunquam res novas moliri desistit, ut Imperio, quod sibi usurparet, Arcadium deiceret, cujus vitæ incessanter insidiabatur, introductis intra urbem Imperialem militibus Gothi, eductisque indidem Romanis militibus, quas procul in diversas stationes & præsidia disperferat. Ejus tamen perverfos conatus Deus elusit, adeo ut Constantinopolitani cives arreptis armis quamplurimos Gothos trucidarint, magnamque illorum partem, qui in hac rerum suarum desperatione ad templum conferunt, ut loci religione tuti essent, accurrerant, injectis ex diruto tecto flammis combusserint. Eodemque fere tempore dux Fravita, tametsi Gothus, sed fidei Arcadio præfite observantissimus, eductis copiis, Gainam omnia ferro & igni vastantem insequutus multis cladibus affectit, collatisque demum signis in fugam compulsi: ultimaque demum acie novam perduellium stragem edidit: inter quos Gainas ipse strenue dimicans corruit.